

natura ad hoc instituta sunt ut ex titillatione arrigatur penis, ideo neque in senibus sit hoc, neque si lapis sit magnus. Vrigo illa immensa in præputio (quæ tanta est, ut nihil maius, contingit ob inflammationem partium quæ sequitur, ad vlcus in vesica, & tunc dolor maximus est, nam & ob id & ob sensus acumen qui in glande viget, oritur: & plerunque exulceratur cavitas illa facta in glande retenta arena, sanie & vrina putrida, ut sit ibi inflammatio & vlcus simul. Ista omnia signa per se non concludunt adesse lapidem, grauitas tamen & repentinum impedimentum in vrina, ac rursus repentina liberatio & quæ multis diebus perseverant, sunt præcipua signa: nam humor crudus non tam facile redit & recedit, & pars eius apparet in lotio: ne talia afferunt grauitatem aded manifestam ut lapis, sed & motus est magis proprius lapidis post illa duo: De lapide tamen immobili licet sectores affirmant, vix tamen credo & est res rara & parum ratio ei subscribit. Reliqua signa præter id quod possunt habere alias causas ut tria prædicta vix possunt distingui, ita ut doceant certè adesse lapidem, nam flagrantia potest procedere, & ab vlcere & à materia acuti. Si autem sit vrina splendida, ad vices absque sedimento cum his poterit poni pro quarto signo & similiter arenulæ tenues, valde ut puluis fusci coloris aut variij pro quinto: Sed hoc signum per se est nullum: ut etiam si non adfit, securitatem non affert. Cathetera autem est laboriosa, sed certa si non fidas illis qui fecant. Sed in ipso tangas in infantibus etiam tangunt digito medio illi per anum immisso absque noxa. Quidam etiam gloriatur se tangere posse in viris: quod si verum esset, esset certum, & ideo valde vtile.

LET TIO LII.

Super

TEXT. XXVII. & XXVIII.

QVare pueri calculosi fricant ac trahunt pudenda. Videtur enim ipsis causa mictionis eo loco.

SI omnes huius libri partes tam pulchrè explicasset noster Alemanus, velut hunc Textum, satis nos à graui labore liberasset, propterea illius commentarium ad verbum iussi exscribi eo contentus, nisi quod loca authorum ab ipso citatorum neglecta in margine adieci, simulque annexi admonitionem non parum necessariam, & salutarem ad præseruandum à lapide ex motibus sumptum. Hæc igitur est illius expositio. Nominat potius pueros quam ætatis alterius homines, quod calculo vesicæ cæteris sint magis obnoxij, Teste Aëtio (lib. 11. cap. 9.) hunc in modum scribente: Generantur etiam in vesica lapides pueris frequentius quàm ætate prouectis, voraces enim pueri sunt, & perpetui motus & cibis vtrinque oblati & nociuis vtuntur, & neque horam cibum ca-

piendi seruant ordinatam, quin etiam prius quàm prior assumptus cibus coquatur, alium ingerunt: & cum vehementius à cibo moueantur, crudus & incoctus in venas cibus distribuitur, mollia autem sunt ipsorum corpora, & quæ facile cedant: eiusque rei gratia obturationem circa renes non perferunt, cum verò crassissima lotia in vesicæ amplitudinem perferantur, ibidem veluti vini fex & limus aquæ subsistunt, ac postea ex loci caliditate desiccata lapidescunt. His consentit Alexander, (1. Problem. 109.) sic quærens: cur pueris calculi in vesica nascuntur, senibus vero in renibus? Quoniam renes puero- rum meatus continent præangustos, hinc enim terrena crassaque permeans materia per renes, vi arctioris meatus ab vrina & renibus caniculatisque propellitur ad vesicam, hæc locum præ sua amplitudine dat, tum exercendi, quia affluit vrina, tum consistendi quia materia subsidet calculi. At seniorum renes, quoniam meatu sunt ampliori, locum & vrinæ effluendi præbere possunt, & terrenæ materiæ subsedendi & concresecendi. Colore autem calculi, quænam materia sit quæ peperit, nosci potest. Hinc Hippocrates (3. Aphorism. 26.) inter puero- rum morbos calculum ponit. Deprehendimus autem pueros calculosos ex sabulosis vrinæ subsidentibus, & quod ipsis virilia sæpius arriguntur, quando enim meiu-nt, dolent, tractant attrahuntque pudenda, tanquam calculum cum vesica exempturi, inquit Aëtius (lib. 6. cap. 60.) cui Paulus assentitur his verbis: Pruriunt laborantes, & confricant pudenda, intenduntque & continuè in vrinam propellunt, ac stillicidio vexantur, anus quoque vitij particeps redditur pruritu laborans. Prominet verò, & rectum intestinum vi & contentionibus, imaginatione perinde, ac si lapis excernatur. Ambo enim inter se copulantur, anus & vesica: quorum vno affecto, & alterum afficiatur est necesse. Propterea inflammato podice vrinæ exitus clauditur, & vesica exacerbata sedes non deicit: licet alius admodum sicca non sit idem scribit Trallianus (lib. 9. cap. 7.) hæc adferens signa calculi. Vrinx crudæ, & colore subalbidæ conspiciuntur, sedimentum est arenosum & scabiei simile, præterea ægri naturalia scalpere, aut ea violenter & sæpe distendere solent, atque tunc magis, cum ad vrinarum excretionem vrgentur, trahunt pudenda, ut à calculo comprimente sphincterem separent: vel pruritu ad id ipsos cogente: vel propter titillationem, putant enim causam mictionis laboriosæ esse circa radicem pudendi, proinde tollere conantur illud ipsum contrectantes. Hic tamen quædam relinquuntur consideranda: primum circa motum: quia enim motus calefacit renes, ided crediderunt quidam quod quies sit melior motu & lentè etiam deambulandum ante cibum. Et verum est quod quiescere & abstinere à decubitu calido, & à potu vini potentis & vsu aromaticum & rerum pinguium & terrearum & lentarum: & ided à caseo qui omnes habet conditiones: à cibis ex farina & à radicibus calidis, in quibus sunt duæ conditiones, plurimum iuuat